



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiæ & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniæ, 1709

§.5. Peccato est impar omnis poena.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

Quid? Deum quem perdis, Cælum quo ex-
cidis, Angelos, Beatos, beatitudinem ipsam :
tuam, si non peccasses; æternam, si momen-
to non posthabuisses. O qualem luctum,
cùm hæc in oculis quondam erunt! Egóne
infelix mercator parvo immensa, caduco
æterna, instabili certa atque mansura post-
posui? itáne est? Deo caremus, summo bo-
no? JESU meo, & Matre JESU, & omnibus
bonis? Gaudia illa immensa, quæ præparavit
Deus diligentibus se, mea non sunt? nec vi-
debo unquam; aut si videbo, tantùm ut a-
missa doleam? O *infernum*, inquit Chry-
sostomus, *inferno acerbiorem!* nam, cùm tan-
ta sit in nobis privatio boni, quantum ipsum
bonum quod perditur; summum id malum
esse oportet, quo sit jaætura summi boni, hoc
est, Dei. O te pœnâ divitem! qui uno mo-
mento & summum acquiras gehennæ ma-
lum, & summum amittas æternæ beatitudi-
nis bonum, utroque miseriimus;

§. §. *Peccato est impar omnis pœna.*

Horres in suppliciis; ego in suppicio-
rum causis, Credésne? non sævitur in in-
ferno, sed parcitur. Minor est pœna quâm
culpa, æternitas quâm inomentum. Ita est.
Nec inferi, nec cælum explent. Stupes? stu-
peo ego stuporem tuum. Audi, in quo ex-
hor-

horrescas multò magis. Si maria omnia in lacrymas; cælum omne in gemitus, quicquid est in suspiria verteretur; ne sic quidem hujus incendii vel scintillā extingueres. Audi amplius. Si quot stellæ in cælo, quot stillæ in mari, quot arenæ scrupi in littore, tot essent mundi in cinere & cilicio; ad expiandam vel unicam labem, fieret nihil. Audi amplius. [S. Aug. D. Thom. Suar. Vasq.] Si ad hoc Angelorum, hominum, dæmonum etiam infinita multitudo concurreret, votis, pœnis, flammis, infinitis, immensis, sempiternis. Audi amplius. Si singuli eorum, quos dixi, omnes omnium infernos exantlarent, & singuli essent infiniti, & infiniti infinita sufferrent, & infinito tempore; tot victimæ, [ô rem incredibilem, sed verissimam!] tot & tantæ victimæ nunquam litarent, quantumvis æternūm facerent ac voverent. Comprendis? aut si tibi hæc vertiginem afferunt, fatere omni opinione majus esse hoc malum.

§. 6. Solus par Deus.

Unus par. qui maximè impar, Deus. Hic tibi novum aperio theatrum. Calvariam. Deus patiens, Deus in cruce. O tragicam scenam! Numera sputa, colaphos, flagella, spinas, clavos, cruces. Cogita deinde, quid